

autem praeceptum verum iniungi ex modo serio seu severo, quo res praecipitur, et ex aliis adiunctis, v. gr. ex necessitate et magnitudine rei praeceptae, ex poena apposita, etc.

6^o In rebus autem pravis, filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex iure naturali. Item ex Scriptura sacra. Sic enim *Act. Apost. 5. 29.*: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* — *Matth. 10. 37.*: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

369. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Neg. per se, quia quilibet homo quoad modum tendendi ad Deum ut finem suum ultimum, est omnino independens ab aliis hominibus (2); et proinde graviter peccant parentes, qui filios invitos aut directe aut etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive coniugalem; vel contra, si eos omnino invitos ab aliquo vitae statu eligendo sine iusta causa impediunt.

Dixi per se: secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant, v. gr. si in gravi necessitate constituti egeant subsidio filii, nec illis alio modo succurrere hic possit, nisi remanendo cum ipsis. — *S. Lig. n. 335.* — *Elbel.*

QUAER. 2^o *An possint filii amplecti statum religiosum insciis parentibus?*

Resp. Per se affirm. Imo aliquando consultius aget filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertens sibi a parentibus iniuste aditum interclusum iri, rem eos celet, divinamque voluntatem exequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis aetate *minoribus*, quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina. — *S. Lig. l. 4. n. 68.* In Gallia praesertim, et ubi vigeat eadem legum dispositio, cavendum est a tali consilio filiis minoribus praebendo, cum parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco eos abducere, et ad se revocare possint.

(2) *Modum tendendi in Deum* intellige quoad statum vitae. In Deum enim, uti ultimum finem tendere est per actus quoslibet; adeo tamen *independentes ab aliis hominibus* non sumus in actibus quibuslibet, ut non modo ecclesiasticis civilibusque legibus constringamur, sed parentum quoque praeceptis etiam in iis, quae ad Dei cultum spectant, uti reipsa ipse *A. sup. n. 368. res. 3.* advertibat.

Ad rem magis faciunt duo principia,

quibus *S. Thomas* utitur nempe 1^o vocanti Deo magis obtemperandum esse, quam contradicentibus hominibus; 2^o in iis quae ad naturam corporis pertinent, hominem homini obedire non teneri, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares: *Unde non tenentur... filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio huiusmodi.* *Vid. 2. 2. q. 101. art. 4., q. 104. art. 5.*

370. — **QUAER.** 3^o *An filii possint, inconsultis parentibus, matrimonium inire?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quoad *licitatem*. Vide dicenda in *Tract. de Matrim. c. 3.*

QUAER. 4^o *An possit filius minor nomen dare militiae, invitis parentibus?*

Resp. Potest, ex Codice civili Gall. art. 374., modo aetatem duodevinti annorum attigerit; hoc tamen videtur valere tantum pro foro externo; excipe, nisi adsint causae sufficientes, v. gr. si filius in domo paterna omnino male tractetur, etc. — *Ita communiter.* — *Vid. Casus, n. 359. et seq.*

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS

Filiis parentes debent 1^o amorem; 2^o educationem.

Ratio huius obligationis in ipsis naturae visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet, imo et bruta ipsa, quae foetus suos diligunt, iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

I. Amor.

371. — Parentes filios prosequi debent amore interno efficaci et ordinato, ita ut non tantum omne odium animique malevolentiam exuant, sed illos corde diligant, et quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent, iisque in omni re prospiciant. Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc plus minusve peccant contra specialem pietatis virtutem parentes.

1^o Qui pravo affectu et iniusto odio in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur, iisque, ubi opus sit, non succurrunt.

2^o Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiae ipsis praebent, eosque faciunt morosos et contumaces, contra illud Apostoli, *Ephes. 6. 4: Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

3^o Qui occulta eorum delicta sine iusta causa manifestant externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit saepe, ut utrisque nota sint, ad perversionem filiorum praecavendam, etc.

4^o Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant, ne eos contristent; vel qui bonitate intempestiva utentes

remissius erga illos agunt, et sive ob segnitiam, sive ob benignitatem crudelē, eos praeceptis seriis aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere negligunt.

3^o Qui uni prae aliis magis favent sine iusta ratione, caeterosque indifferenter intuentur, aut etiam sicut adulterinos habent; haec enim unius prae caeteris dilectio fons est et occasio iurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

II. Educatio.

A parentibus procurari debet filiorum educatio tum corporalis, tum spiritualis.

I. Educatio corporalis.

372. — Educatio corporalis triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet ratione 1^o vitae, 2^o victus, 3^o status.

I. *Ratione vitae.* Tenentur parentes curam proles sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia, quae ipsi nociva esse possunt, et invigilare, ne ulli vitae periculo exponatur.

Hinc peccant *per se* graviter 1^o mulieres, quae non cavent, ne foetus in utero perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diuturno, nimia iracundia, aut moerore vehementiori; 2^o viri, qui praegnantēs uxores aspere tractant, gravibus percussioibus afficiunt, aut ipsis ingentes imponunt labores; 3^o coniuges, qui non cavent, ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocantes sine ullo repagulo, aut non cavent, ne quid mali quomodolibet ipsis eveniat ex aqua, igne, bestiis, ferreis instrumentis, etc...

II. *Ratione victus.* Tenentur parentes filiis procurare quaecumque necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suae congruum.

Hinc peccant parentes, 1^o qui filiis necessitatem patientibus non succurrunt (1), donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant; 2^o qui filios domo eiiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis prospicere, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem ab ipsorum conditione alienam exercendam.

(1) Quoad obligationem suppeditandi corporalia subsidia puchre S. Thomas notat discrimen inter obligationem parentum erga filios, et viceversa filiorum erga parentes. Pater (ait) habet rationem principii; filius autem habet rationem a principio existentis. Ideo per se patri convenit, ut subveniat filio, et propter

hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam: quod est thesaurizare. Sed quod filius aliquid conferat patri, hoc est per accidens ratione alicuius necessitatis instantis, in qua tenetur ei subvenire, non autem thesaurizare quasi in longinquum (2. 2. q. 101. art. 2. ad 2.).

QUAER. *An mater filios proprio lacte nutrire debeat?*

Resp. Affirm., cum sententia communi, quia hoc ius naturale postulare videtur. Attamen haec obligatio non urget sub gravi, quia non apparet secus gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud familias nobiles vigens, etc...; sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere debet. — S. Lig. n. 336. — Collet, etc., et alii communiter contra alios laxiores vel rigidiores.

373. — III. *Ratione status.* Tenentur tandem parentes filiis procurare statum, in quo honeste iuxta conditionem suam aliquando vivere possint. — Hinc peccant,

1^o Qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut acquirant bona, ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant, iuxta illud Apost. 2. Cor. 12. 14: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2^o Qui artem statui congruentem, aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant.

3^o A fortiori qui pigritia, negligentia, potationibus, comensationibus, lusibus, negotiis imprudentibus rem familiarem dissipant.

4^o Qui absque causa legitima dotem filiae convenientem pro matrimonio ineundo aut ingressu in religionem obstinate denegant. — S. Lig. n. 335.

II. Educatio spiritualis.

374. — Tenentur praecipue parentes filiis procurare educationem spiritualem. Ratio est, quia homo praeter esse materiale seu corporale, quod cum caeteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad Divinitatis ipsius imaginem creata; et conditus est, ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur, et ad vitam aeternam praeparetur. Hinc Apostoli 1. Tim. 5. 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* — Ad hanc vero educationem requiritur 1^o doctrina, 2^o correctio, 3^o exemplum.

I. *Doctrina.* Tenentur parentes *per se* vel per aptos instructores erudire filios in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei, in fide et in omnibus ad salutem necessariis, quia illos erudire debent in via, qua ad Deum perveniant. Hinc Deut. 11. 19: *Docete filios vestros (verba mea) ut illa meditentur.* — Eccli. 7. 25: *Filii tibi sunt? erudi illos a pueritia illorum.*

Sedulo igitur parentes curare debent, 1^o ut filii quamprimum gratia Baptismatis regenerentur; 2^o ut a tenerrima pueritia eos praecipua doctrinae christianae capita doceant, et corda eorum ad Deum inclinent; 3^o ut a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiae Officii et Catechismis assuefaciant, necnon a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; 4^o ut eis praeficiant magistros doctrina et praesertim gravitate morum conspicuos; 5^o ut invigilent diu noctuque, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

375. — II. *Correctio*. Tenentur parentes filios delinquentes corrigere. Hinc *Prov.* 13. 24: *Qui parcat virgae, odit filium suum.* — Et 23. 13: *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur.* — *Ibid.* 14: *Tu virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis.* — *Ephes.* 6. 4: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.*

Sed correctio, ut utilis sit, debet esse moderata et prudens. Castigatio enim immoderata plus obesse quam prodesse noscitur, siquidem filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos; imo pro amore parentibus debito contemptum vel etiam exitiale odium parere solet.

III. *Exemplum*. Parentes bonum exemplum filiis debent, quia 1^o exempla efficacius, quam verba, ad sequelam quodammodo trahunt, praesertim si a Superioribus praebeantur; 2^o quia si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum eorum verba filios ad bonos mores sectandos movebunt. — Unde S. Hieronymus. *Epist.* 7. *ad Laetam*, ait: *Mementote vos, parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce.*

376. *Resolves*. — 1^o Graviter peccant parentes, qui omnem curam ad temporalia tantum impendentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsi quidem sciant, quae ad salutem assequendam sunt necessaria, multo autem minus liberos suos instruant aut instrui curent.

2^o Peccant graviter parentes, qui ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt.

3^o Graviter peccant *per se* parentes, qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter negligunt, quando alioquin id necesse foret; sed non minus peccant, qui gravioribus poenis in filios animadvertunt, v. gr. si eos mutilent, vel eis grave vulnus aut percussiones et verberationes adeo graves infligant, ut vita aut sanitas eorum notabile detrimentum capiat.

4^o Duplex pariter peccatum perpetrant parentes, cum verba turpia et obscenos sermones audientibus filiis proferunt, maledicta et imprecationes evomunt, iuramenta et blasphemias eructant. His enim pravis exemplis efficiunt, ut filii haec omnia addiscant, atque eadem imitentur.

5^o Graviter peccant saltem generatim parentes, qui mittunt filios ad scholas haereticas vel impias, aut eos magistro haeretico vel impio, moribusve perdito committunt, ut scientias humanas discant. Quot autem incauti et crudeles genitores nostris temporibus tam nefando scelere se obstringunt! Ab eis *animam pro anima* requiret in tremendo iudicio iustissimus Iudex. — V. *Casus*, n. 368. et seq. (*).

377. *Quaesita*. — *QUAER.* 1^o *Quaenam sint obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendantium?*

Resp. Eaedem sunt generatim cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes, ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, praesertim si parentibus deficientibus ascendentes nepotum curam suscipiunt. — *Ita omnes.*

(*) Ad educationem quod spectat, qua non tantum intellectus sanis notitiis imbuitur, sed potissimum voluntas ad optimos formatur mores veramque pietatem et religionem haec habet SS. Pater Leo XIII in Encycl. ad Episcopos Galliarum 8. februarii 1884 de tot scholis, quae laica instituuntur et reguntur auctoritate. « Ecclesia integritatis fidei custos et vindex, quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes itemque sedulo videre, quibus excolatur praeceptis institutisque iuventus, quae in ipsius potestate sit, semper scholas, quas appellant *mixtas* vel *neutras*, aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum etc. ».

Sane interrogata S. I. C. an liceat parentibus liberos suos scholis mixtis instituendos committere respondit 17. Ian. 1866. « Generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus iudicio et conscientiae Episcopi id esse relinquendum, cuius tamen erit officii diligenter curare, ut non modo a se et a parochiis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeatur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur simulque niti apud

magistratus et praesides ne vis inferatur conscientiae catholicorum, adhibendo libros, qui catholicae religioni sint infensi ac denique assidue et instanter monere et hortari omnes atque eos praesertim, quibus facultas est, ut liberos suos in alias regiones mittant, ubi catholice educantur ».

Cum in Anglia quaestio haberetur, an iuventuti catholicae liceret universitates catholice frequentare et censerent quidam id tolerari posse, S. C. P. F. 6. Aug. 1867. ad Episcopos rescribens, inter alia principium revocavit de proximis peccandi graviter occasionibus devitandis quibus nemo sine letali peccato exponere se ipsum potest nisi gravis urgeat ac proportionata necessitas ac nisi tales adhibeantur cautiones, quibus periculum peccandi proximum removeatur (haec duae conditiones simul adesse debent)... subdit porro: « Iam vero in re de qua agitur, cui ex SS. Pontificis declaratione, intrinsecum gravissimumque inest periculum non pro morum tantum honestate, sed praesertim pro fide, quae ad salutem omnino est necessaria, quis non videt, vix aut ne vix quidem dari posse adiuncta illa in quibus absque peccato acatholicae universitates frequententur? ».

QUAER. 2^o *Quaenam sint mutuae fratrum et sororum obligationes?*

Resp. 1^o Debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut caeteri homines, sed peculiari dilectione ob arcum sanguinis vinculum.

Resp. 2^o Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. — *Ita omnes.* — Vide S. Lig. n. 340.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONIUGUM.

378. — I. Coniuges tenentur.

1^o Ad mutuum amorem. Cum enim sint caro una, debent etiam esse cor unum. Sic *Ephes. 5. 25: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* — *Tit. 2. 4: (Uxores) Viros suos ament.*

2^o Ad societatem coniugalem et cohabitationem. Patet ex natura et finibus matrimonii, et ex verbis Christi. *Matth. 19. 5: Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

3^o Ad alimenta et quaecumque ad honestam conditionis suae sustentationem pertinent, sibi mutuo praestanda: *Iam (enim) non sunt duo, sed una caro, Matth. 19. 6.* — *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam. Ephes. 5. 29.*

4^o Ad debitum coniugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio, nec legitima adest illud negandi causa; quia ad id se obligarunt. Hinc Apostolus, *1. Cor. 7. 4: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier (nempe in ordine ad generationem).*

379. — II. Vir tenetur in particulari.

1^o Studiose rem familiarem gerere, et bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administrare.

2^o Curare, ut uxor munia christianae professionis impleat, et praecepta legis tum divinae tum ecclesiasticae exequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiae; ac proinde ad ipsum spectat tum uxoris tum aliorum familiae membrorum recta gubernatio.

3^o Corrigit uxorem delinquentem, ubi opus hoc sit ad eius emendationem et ad scandalum praecavendum. Debet autem correctio procedere ex charitate vel amore iustitiae aut zelo procurandi rectam familiae gubernationem, et esse multo levior quam culpa mereatur, quia uxor est socia viri, non serva. Curandum insuper est, ne pax et amor inter eos pereant.

380. — III. Uxor ex parte sua tenetur

1^o Revereri maritum, quia est ipsius Superior, ut constat ex dictis, et ex verbis *Gen. 3. 16: Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

2^o Praestare ipsi obedientiam; quia obedientia debetur Superiori in iis, quae ad gubernationem pertinent; et Apost. *ad Coloss. 3. 18. ait: Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet in Domino.*

3^o Curam domus gerere in re familiari, et proinde familiae officia obire, ut parare cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire, et alia huiusmodi praestare. Nobilis tamen uxor officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet, et curet, ut res domestica bene geratur.

381. **Resolves.** — 1^o Maritus graviter peccare potest, si uxorem conviciis prosequatur, v. gr. vocando eam *adulteram, sagam*, etc.; si absque iusta causa eam impediatur ab implendis praeceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. gr. a discretis Sacramentorum frequentia; si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; si cum ea non cohabitetur; si familiae gubernationem negligat, etc. — S. Lig. n. 356.

2^o Uxor pariter potest peccare graviter, si maritum soleat irridere, subsannare; si verbis asperis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet, etc.

3^o Vir ordinarie correctionem uxoris inchoare debet per verba suaviora, et si haec non prosint, ad graviores correctiones devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, quando sine peccato id potest, nec nimius esse in corrigendo, aliquando autem correptionem ad tempus differre, ne correctio ex irae aestu videatur procedere, et fructu careat, dum uxor ad eam recipiendam minus est disposita.

4^o Confessarius non statim credat coniugi contra coniugem conquirenti, praesertim si uxor in maritum invehat; quia mulieres fere ad mentiendum sunt proclives. Quare melius est, re dissimulata, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et maiorem sollicitudinem ad obsequia viro praestanda.

5^o Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus; si irato respondendum sit, respondeat suaviter: responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitatur. Si haec nihil obtineant, curet, ut per Parochum aut alium prudentem virum maritus admoneatur.